



## **Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. XLVII. Sibi addicti clerici adolescentis cadauer, misericordiae  
parens in sacro loco humandum iubet; cum priùs in profano sepulchro  
sepultum esset.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

tum est, ut qualis moriens quis reperitur, talis, & eo in statu iudicetur. Itaq. animam illius sibi addictam esse dicebant; qui mortis tempore in mortali culpa deprehensus esset; & secum illam abstraherent. Sed Virgo in ipso prope infernarum aedium limine, cum nondum illi introissent, scelestos comprehendit; quibus per tremendum iudicij diem iussit, ut nulla interposita mora, animam corpori suo reponerent; ut crimine illo, quod ipsorum fallacis, & dolo tectum fuerat, sacerdoti edito, ille seruetur. Ex hoc & alijs innumerabilibus in manifesto est, nemini, qui uel solius noxae, aut peccati doloso silentio, confessionem fraudauerit, ad coelum aditum patere. At si qua pietate quis dignus fuerit, eum semper fuisse uitae restitutum: ut quod abscondisset, aperte proferret. Videant nunc haeretici, quam impiè, quam sceleratè, quam impudenter faciunt; quos non pudet dubitare, de huius potentissimi sacramenti ui, ac summa potestate: qui nodum in scripto quaerere non uerentur.

## MIRAC. VIRG. XLVII.

*Sibi addicti clerici adolescentis cadaver, misericordiae parens in sacro loco humanandum iubet; cum prius in profano sepulchro sepulchrum esset.*

**T**Ametsi clericus ea dignitate, in qua constitutus erat, indignam uitam agebat; & pessimè audiebat; tamen Virgini mirificum honorè semper tribuebat, eiusque nomen sanctissimè uerebatur, eandem saepe plurima salute piè impertiens. Is

ab

ab inimicis ob sua flagitia trucidatus, indignus uisus est christiana sepultura; eumq. in sacro loco sepelire recusauit uicinia sacerdos. Post eius obitum triginta dies praeterierant, cum Virgo de sacerdote, à quo christiana sepultura uetita fuerat, quaesiuisset; cur tam iniquè cum cliente suo fidissimo egisset. Quinetiam iussit, ut in sacro, & religioso loco eius cadauer poneret. Ea re cum multis priùs communicata sacerdos ad eum locum contendit, in quo iacebat cadauer. Ibi in eius ore purpureum florè reperit, & linguam adhuc puram, & integram: tametsi iam triginta dies in sepulchro corpus abditum fuisset. Id factum fuisse omnes conijciebant, quia ex illius ore saepè Virginis saluatio proficiscebatur. Itaq. illinc cadauer honestissima pompa elatum, & mutato solo, in sacro loco conditum est; Virginiq. ab omnib. ob tantam pietatem maximae gratiae actae sunt.

MIRAC. VIRG. XLVIII.

*Dat operam Virgo, ne Diaconus christiana sepultura careat.*

**T**emplo Virgini dicato inseruiebat monachus Diaconus, eius cultui maximè deditus; sed ingenio nimis iracundo, & ad excandescendum facili erat. Iracundia forte ita exarsit, ut illo impetu inimicis quibusdam sauciatis, ab illis postea telo traiectus, letali uulnere conciderit. Id cum ad ciuitatis Antistitem fuisset delatum, grauiter illud factum accusauit; quòd ille ultrò in mortem erupisset. Prohibuit igitur, ne intra coenobium, nec in coenobitarum sepulchro